

THESES THEOLOGICÆ

Ex Quarto Sententiarum Libro

DE SEPTEM SACRAMENTIS, Et VIRTUTE POENITENTIÆ.

Quas Labaci Anno MDCCLII. in Templo B. Virginis in Coelos Assumptæ per publicum certamen discutiendas, & defendendas proposuerunt
VV. PP. Lambertus Fabian, & Gaudentius Irlich, Ordinis Minorum S. P. Francisci, Strictioris Observantiæ, Ss. Theologiæ Studentes,

P R Æ S I D E

P. F. HUGONE VODNIKH, ejusdem Ordinis, Ss. Theologiæ Lectore generali actuali.

Sepem Sacramenta N. L. causant gratiam ex opere operato, non physicè, sed moraliter. 2. In Lege quoque veteri circumcisio fuit verum Sacramentum. 3. Per se loquendo licet citra invitorem parentum infidelium injuriam possunt eorum infantes baptizari. 4. Ex commissione Papæ potest simplex Sacerdos confirmare. 5. Sacramentum Eucharistiæ consistit in speciebus ut connotantibus Corpus & Sanguinem Christi: 6. in quem aqua convertitur, postquam in vinum prius conversa fuisse. 7. Pœnitentia (cujus proprius specialis actus est, velle vindicare peccatum) est virtus specialis, moralis, acquisita, 8. species justitiæ vindicativæ. 9. Ejus obiectum materiale remotum est peccatum commissum, proximum quilibet actus pœnitentis tam internus quàm externus, assumptus ad vindicandum peccatum, formale vindicabilitas. 10. Ejus subiectum immediatum est voluntas, 11. mediatum creatura peccatrix, & potuit esse homo durante statu innocentie. 12. Christus, & B. Virgo actum pœnitentiæ indirectum tantum & secundarium, non verò primarium & directum elicerunt. 13. Actus pœnitentiæ fructuosus debet esse quoad modum tantum supernaturalis tam ex parte distaminis, quàm principij. 14. Essentia contritionis non consistit formaliter in passione tristitiæ, sed in actu detestandi peccatum, ut virtualiter continente distam passionem. 15. Solum motivum Charitatis, non verò Religionis, Pœnitentiæ (specialis, aut alterius virtutis moralis, est formale motivum Contritionis. 16. Quæ proinde debet detestari peccatum super omnia alia mala, 17. & debet esse summa appretiative seu prælative, non intensivè: 18. nec ad ejus substantialem valorem requiritur determinata intensio, vel duratio: 19. detestatur tamen peccata graviora magis, quàm minus gravia, 20. magis item mortale alienum, quàm veniale proprium, si utrumque comparatur ad Deum essentiam, secus si ad subiectum offendens. 21. Præter dolorem debet contritio includere propositum non peccandi de cætero, & votum Sacramenti, quod utrumque aliquando saltem virtuale potest sufficere: 22. requiritur quoque ad eam amor Dei, sed & iste aliquando sufficit virtualis. 23. Non est necesse de singulis peccatis distinctos actus contritionis elicere, nec eadem, præcisa confessione, singillatim recogitare, 24. sed sufficit unus actus universalis, qui se saltem virtualiter extendat super omnia. 25. Non datur, nec dari potest peccatum ab intrinseco irremissibile: 26. nec potest unum mortale sine altero remitti in moderna providentia, in qua remittuntur per condonationem intrinsecam. 27. Quandocunque deletur peccatum quoad culpam, remittitur etiam pœna æterna cum reatu passivo ad illam, quæ commutatur in pœnam satisfactoriam temporalem: 28. remissio autem reatu passivo repugnat ex parte Dei deputatio activa ad pœnam æternam, aut jus ad odio habendum peccatorem ex causa ejusdem peccati. 29. Omnibus graviter lapsis necessaria est pœnitentia necessitate medij, & præcepti naturalis & positivi: 30. quod statim obligat post peccatum, non tamen peremptoriè pro primo proximo tempore; 31. sed obligat ita, ne nimis diu pœnitentia differatur. 32. Non implicat alia providentia, in qua peccatum sine pœnitentia remitteretur, 33. Mortalia peccata extra Sacramen-

tum non tantum per formalem contritionem perfectam, sed etiam aliquando sine hac per amorem Dei perfectum deleri possunt: 24. ad quam deletionem contritio non concurrat per modum causæ efficientis, vel formalis, sed per modum dispositionis moralis, & meriti de congruo duntaxat. 35. Venialia quædam etiam post hanc vitam delentur, & quidem regulariter per satisfactionem: 36. in hac autem vita remitti possunt per Sacramenta, & Sacramentalia, sed per hæc ex opere operantis, 37. item contritionem & attritionem, imò per quodvis opus meritorium justum ad hunc finem directum, vel à Deo acceptatum. 38. Peccata remissa in lapsu non redeunt simpliciter, sed secundum quid. 39. Merita verò mortificata reviviscunt per pœnitentiam efficacem, non tantum secundum præsentem dispositionem, sed secundum proprium valorem pristinum, 40. ad totam gloriam essentialem, & ad totam gratiam ipsi antea ex justitia correspondentem. 41. Dantur in Ecclesia Claves, seu potestas non tantum ligandi & solvendi, sed etiam judicandi. 42. Datur quoque Sacramentum Pœnitentiæ à Baptismo distinctum, à Christo tunc præcipuè & completè institutum, dum Joan. 20. dixit: *Quorum remiseritis peccata &c.* 43. Per quod peccata non tantum remissa declarantur, sed verè remittuntur. 44. Non potest dari hoc Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe. 45. Ejus Minister est solus Sacerdos legitima jurisdictione præditus: 46. Quem jure naturali, Divino, & Ecclesiastico sigillum Sacramentale obligat, imò & alios, ad quos Sacramentalis notitia pervenit. 47. Materia remota hujus Sacramenti sufficiens est omne & solum peccatum, non ante sed post Baptismum commissum, etiam ritè aliàs confessum, necessaria verò mortale nondum ritè clavibus subiectum: 48. materia proxima sunt actus pœnitentis, qui etiam hoc Sacramentum completè sumptum unà cum absolutione essentialiter constituunt, 49. ita tamen, ut satisfactio in voto sit pars ejus essentialis, in re verò præstita sit tantum integralis. 50. Forma essentialis est, *absolve te.* 41. Dolor in hoc Sacramento requiritur universalis, ad ejus tamen valorem etiam in articulo mortis sufficit attritio supernaturalis: 52. cujus motivum est turpitudine peccati, vel metus gehennæ & pœnarum etiam servilis, sed sine servilitate: 53. in ea elicienda requiritur aliquis respectus ad Deum, non verò amor perfectus benevolentie, sed sufficit inchoatus. 54. Confessio debet esse saltem formaliter integra: per se tamen necesse non est explicite manifestare circumstantias pure aggravantes. 55. Secreta confessio præcipitur, publica per se non prohibetur: ad eam sufficit dolor postpositus & absolutioni præmissus. 56. Hoc Sacramentum potest, & debet administrari muto & surdo, imò & fidei moribus do sensibus destituto, huic tamen cautè sub conditione. 57. Satisfactio in voto causat partialiter gratiam, in re verò præstita remissionem pœnæ temporalis juxta proportionem. 58. Extrema Unctio per se causat remissionem venialium, mortalium non nisi per accidens. 59. Episcopatus est Ordo propriè dictus, sed inadæquatè tantum à Sacerdotio distinctus. 60. Matrimonium verum potest stare cum voto prævio simplici perpetuæ castitatis. Deo Laus & Gloria.

